



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XIV. Derisores quàm graviter sæpe puniti sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

oculis veluti clausis præteribat, & tanquam dissimulante ea intueretur, connivebat usque in ætuum vicefimum sextum, quo anno Michaël Imperator charissimum Bardam præcepit occidi: ille strictis gladiis petteritus, genua Imperatoris advolutus, vitam solum rogabat, sed extractus & frustillatim confusus est, caput conto suffixum, & velut in Junonis pompâ prælatum: Tu Domine deridebis eos.

Eodem anno & ipse Imperator Michaël debitum sibi premium tulit. Nam cum Basilius in eodem solio successor, illum impietatis moneret, Imperator monitoris impatiens, aulicum famulum subornavit, qui Basilius impetretur hastâ, veluti feram fixurus. Sed error haste saluti fuit Basilio. Cautior exinde Basilius, re cum aliis deliberatâ, ebrum Imperatorem in cubiculo aggressus, & multis vulneribus confectum, manibus pedibusque mutilavit ita Zonaras & Cedrenus. Judicia derisoribus debita, etsi sopita videantur, tandem tamen evigilant.

Hic mihi alius in mentem est Michaël Theurlinus, homo gente Germanus, sed inter cavillatores minime positus. Hic in Pannoniâ infra Strigonium, à sacerdote spherulas precatorias, ac si à Judæo tesseras peteret, importunissime exigens: Da cito, aiebat, mytha globulos precatorios. Dedit ille, sed qui petiit, paullo post & globum accepit pectore, sed plumbeum, post quem nil amplius petiit. Hoc narravit vir nobilis, qui Michaëlis, cum glande trajiceretur, latus regebat: Tu Domine deridebis eos.

Tria certè constituta sunt tempora illis derisoribus. Primum est quo se judex solum recipit, & ad sententiam dicendam componit. Eò spectat illud Salomonis: *Parata sunt derisoribus judicia.* Alterum est monitionum & minarum. Eò pertinet illud Isaïæ: *Et nunc nolite illudere, ne forte confringantur vincula vestra.* Per Salomonem quoque monentur à Deo, qui jure queritur. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Tertium est denique sententiæ executione. Hic jam proclamat Isaïas: *Consummatus est omnis illusor, & successi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, & qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant.* Cavete ô Juliani, ô Luciani, irrisores improbi: Cavete ô Momii, Nocte matre, Somno patre progeniti, qui ipsi quidem nil præclari operis edere, sed aliorum opera curiosis oculis contemplari, & si quid omisissum aut perperam factum, petulanter irridere consuevistis. Cavete, ô Christiani, dicacitatem & irrisorem. Præstat vel millies irrideri, quam alios vel semel irridere. Judex jam confedit, monemini; jam sæpius minatus est, respicite; jam sententiam pronuntiabit Judex. *Parata sunt derisoribus judicia.*

CAPVT XIV.

DERISORES quàm graviter sepe puniti sint.

Solent ignes, quos fatuos vocant, plerunque noctu vagari, & viatorem se sequentem, ad vada periculosa, aut præcipitia sensum deducere. Lingua ignis est, & fatuus, qui sibi obsecundante præcipitiis proximos ducit. Lingua Derisoris eò frequenter excurrit, ubi vicinæ sunt voragine, ut subito quem duxerat, præcipitet. Derisor quo minus timet, plus habet quod timeat. Reverta Salomone teste, *Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes corporibus stultorum.* Quam autem hæc judicia sint severa, & quid supplicii expectent irrisores, post ea quæ jam diximus, confirmatiùs exponemus.

§. I.

Ille Domini ocellus Joannes Apocalypcticus vidit è faucibus draconis tres impuros spiritus emergere,

Tomi. I.

A velut tres ranas. Ex ore irrisoris triplex vibratur lingua: Tribus nam tribus modis irrideri quis potest. Primò quidem cum corporis vitia, calvities, claudicatio, balburies, hisque similia opprobantur: ita pueri Elisæ calvitiam irridebant. Deinde, cum animi defectus, simplicitas, ignorantia, stupiditas, ingenii tarditas, stulticia objiciuntur. Hic mille sunt agnomina; caudex, stipes, fungus, stupor, bardus, asinus, stultus. In hanc impiam dicacitatem Christus sententiam mortis, & quidem æternæ tulit: *Qui autem, inquit, dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio: Matth. c. 5. qui autem dixerit Fatue (animo scilicet injuriam spirante) reus erit gehennæ ignis.* Tertio, cum defectus fortunæ, paupertas, generis obscuritas, officii vilitas oggeruntur. Ita Pharisei Christum non nisi fabri filium vocabant. Hic sæpe graviter peccatur, cum à nobilioribus & ditioribus, tenuioris fortunæ hominibus insultatur. Alienus ab hoc vitio Salomon: *Sum quidem, inquit, & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno (de meliori luto duntaxat) & ego natus accepi communem aërem, & in similitudinem factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisit plorans.* Nemo enim ex regibus aliud habuit naturæ initium.

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,

Vix ea nostra voco.

Quid ergo suas inopi reculas objicio, cum eum plerumque plus ornet paupertas, quam me divitiæ? Sed *parata sunt derisoribus judicia.*

Gedeon fortissimus heros insequatur hostes cum trecentis militibus, quibus præ lassitudine & fame deficientibus, panes suppeditari petiit, ut restauratis viribus, reges Zebee & Salmana liceret persequi. At Socothani principes, à quibus subsidium illud petiit, liberali profusum sarcasmo ludentes: Nunquid, ajunt, victoriam jam manu tenes? nempe jam triumphum humi canis, ideo postulas, ut comeatum agmini tuo suppeditemus. Quibus Gedeon: Ubi vicero, inquit, vos dicetrium vestrum luetis. Vicit, & ad cavillatores istos quamprimum regressus, septuaginta septem viros, primores urbis, insultato supplicio affecit: nam eos humi stratos, & spinis ac paliuris laceratos, magnòque impetu confusos necavit, turrim Phaulum everit, & omnes urbis incolas trucidari jussit. Scilicet novum & antehac inauditum derisoribus supplicium debebatur. Sic omnino, sic *parata sunt derisoribus judicia.* Jam calet lixivium, quod illorum capita confricabit: jam stat patibulum, quod illos in altum elevari. Res patebit à pluribus exemplis.

§. II.

Anno à pariente Virgine millesimo trecentesimo quadragesimo Philippus Valefius Rex Galliarum contra Flandros Gandenses arma movit. Illi ad conflictus exordium, gallum gallinaceum in tabulâ pictum velut labarum prætulerunt cum hac inscriptione: *Cum gallus hic cecinerit, Francorum rex victor erit.* Magno stetit hic jocus; nam è Flandris novemdecim millia & octingenti in acie cæsi sunt. Nimirum *parata erant derisoribus judicia.* Quemadmodum puero in plateis improbe se gerenti dicitur: Adli modo, parente domi salutabit recentibus virgis.

Anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, tempore verni jejunii, anniversaria Christi patientis hebdomade, miles Comitum Ludovici Nassovii in Belgio hibernabat, & carnibus temere vesceretur, nec sine mutuâ gratulatione, quod liceret esse tam improbis & exlegibus. A castris non procul aberat Philippus Olmanus parochus, theologus: hic suos cohortatus ne pessimis exemplis animati, legibus Ecclesiæ fraudem facere in animum inducerent, impios illos milites nunc quidem ridere, forsân brevi ploraturus. Dictum viri vaticinium videri potuit. Nam quarto paschatis die, cum ad-

G g g 2

huc Elsa v. 30. & 31.

huc *et* coram erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & totus eorum exercitus, cum omnibus ducibus, inter quos Ludovicus & Henricus Nassovii, ad intercessionem ab Hispanis casus est. *Parata sunt derisoribus judicicia.* Crux alta suum Amanum jam expectat; Assuerus rex solo nutu pronuntiet quid fieri velit, & pendebit Aman.

Anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo excusus Antverpiæ dialogus Paslevantii & Pasquini colloquentium de rebus gestis Calvinii, Bezae, Vireti; auctor scripti Emanuel Troncius, qui & hoc commemorat: Laulannam ibant Geneva duo sibi perquam familiares. In itinere omne caelum in iras effusum, fulgure & tonitru minabatur. Hic illorum alter Catholico ritu se cruce signavit. Ad quem socius: Quid agis, inquit, num muscas abigis? Dixit, & mox ultor hæsit à tergo Deus. Nam fulmen destinatissimo ictu hunc unum petiit, in tacto altero, qui id Geneva statim divulgavit. Sunt certe *parata derisoribus judicicia.* Cum convivent homines, caelum terraque pœnas repetunt.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo primo, die Domino Corpori sacræ Biturgium venit Elisabetha Blesina una cum marito, matre suâ, atque ancillâ. Elisabetha brachiis infantem gestans matre & ancillâ comitantibus, sancti Severi ædem ingressa, pro suggestu dicentem audiit & irrisit. Finitâ concione loci curio Michaël Herzog rem divinam exortus est. Femina hæc curiosior nescias an procacior, cum infante accedit aram ludibunda; hic subito veluti fulminata corruit, adstante Georgio Olando qui præfectus erat urbi; infans tollitur illæsus, mater muta nec sibi præfens effertur templo, ubi multum sanguinis ore naribusque rejecit, quamvis eo casu non mortua. Fassa sunt postea mater & ancilla, illam, antequam corruerit, dixisse: accedam propius, ut videam quid stultus iste (sacerdotem designabat) gesticuletur. Sed *parata sunt derisoribus judicicia.* Vindicta subinde claudicans venit, sed venit tandem, & plerumque quod lentior, hoc vehementior.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio Novessii in agro Colonienli femina hæresin clam fovens peccatore, Catholicorum templo abstinuit. Ejus rei causam aliquoties interrogata, illud irrisorum solenne respondens: Altum est ædificium, inquit, nec promittit se non ruiturum. Jocus videri potuit: innoxius, non fuit. Nam eo ipso tempore extra urbem canobium diruebatur una cum templo, alio loco condendum: hoc ubi femina illa inaudit: gaudeo, inquit, me superstitem in patriâ videre templa etiam papistica deseri. Itaque duabus ancillis comitata, egressa est urbe, visura demolitionem ædis. Culmen illius jam detectum erat, cetera majorem partem soluta. Dum ergo secuta obit singula lustrans, columna inclinata in feminam ruit, eamque mole suâ obruit. Quis columnam impulserit, facile est cogitare; utique qui impiè jocantem audit. *Parata sunt derisoribus judicicia:* aviculis saltando pascentibus jam imminet tendicula.

S. III.

Bredenbach.
lib. 7. col.
sacr. cap. 61.
Cujusdam
calvinistæ
supplicium
Jesuitas
cavilantis.

Ad rem testatissimum quid Tilmanus Bredenbachius commemorans: Vir, inquit, moribus & eruditione spectatissimus nuper ad nos Antverpiâ perscriptis ita; Cum Patres Societatis Jesu à suo Collegio recens illic condito, factiosorum hominum opera pulsi, urbem cedere jussi essent, quidam Calvinii sectator, in exulum domum jam vacuum se penetravit, & colligati straminis fasciculum è fenestrâ suspendit. Consuetum hoc signum est earum ædium quas lues contagiosa infecit. Collegio sic insignito, mox alius ejusdem religionis homo adit ex compacto, & fores pulsavit. Alter, qui stramen infame appenderat, prospiciens, & velut indignatus: Quid hoc, inquit, ostium pulsat? signum pestilentis, lippe, non vides? Omnes in hac domo pestis con-

A sumpsit. Nec distulit Nemesis. Eodem prorius die irrumpens illius domum corripuit pestis, cum tamen antea nihil circumquaque contagionis serperet.

Eodem tempore Antverpiæ, viâ cochlearium mensam locurant aliqui medio plateæ, & inter maximas agitationes lixum petalonem confecerunt. Unum omnium gaudium erat, quod infestum illud genus hominum purgarit urbem. Dixisses Romam pulsus Regibus non sibi festivi gratulam, quam istos ejectionis Jesuitis. At paulò post hanc ipsam plateam invasis pestis, & brevi quadraginta homines, nec infimæ plebis, Libitina tradidit.

Addo: Ante annos viginti, Augusta in æde Salvatoris quadraginta horarum comprecatio instituta est, avertendæ pesti: Forè templum transit patricius è Lutheri disciplinâ, & quid illic rerum ageretur, quævis multa insuper jocosus in Catholicos ritus. Sed vix domum redit, & peste correptus moritur ipse unus, salvis B aliis omnibus, tam in eâ, quam in junctis utrimque domibus. Judicia derisoribus nunquam non parata sunt: Balnea vestra jam calent, ite irrisores, ite, ingredimini, sed jam lavandi, non loturi amplius.

Sed nondum abimus ab hac Vindelicorum urbe Augusta. Fuit Patricius Augustanus, cui adulter jamque nobiles erant filia, nulla proles mascula. Hic in convivio filiolum convivoris cernens, puerulum mirè affabilem, & oblectandis parentibus natum, ad suam ipse conjugem versus: si & nobis, inquit, talis stultulus esset, o mea uxor. Audiit Deus, & votis pronus annuens liberalissimè concessit, quidquid optabatur, & plusquam optabatur. Huic enim viro sex ordine filii nati sunt, & quod in votis erat, omnes stulti: En

votorum summa; quid ultra

Queris?

O mi bone, nimis frigide facetus est, qui cum Deo vult ludere. An nesciebas parata esse derisoribus judicicia? Cum superis jocari nemini concessum. An nunquam audiisti, nec cerasa quidem cum magnatibus edere, utrum esse? Sed ad finem pergitur.

S. IV.

Anno octingentesimo quadragesimo quinto, uti annales Francorum memorant, Dani Christianis sacris nondum imbuti, regem suum Horichsecuti, Gallias infestis armis incurserunt; potius Rotomago, secundo Sequanâ flumine Parisios properarunt, duce Ragenario; qui ipso pascharis pervigilio, urbem incolis metu diffugientibus vacuum facile cepit, & inter alia sancti Germani canobium expilavit. Demum à rege Carolo argenteis rationibus inductus, in fœdus transit, juravitque non rediturum se nisi auxiliatorem. Post hæc apud regem suum gloriarus est Ragenarius, urbem à se captam, monasterium sancti Germani spoliatum, sed & illud adjecit, mortuos panè vivis robustiores esse Parisiis: nullum enim sibi adeo restitisse, atque capularem illum senecionem Germanum. Dixit, & mox tremere miser, intumescere, in terram tuere, & horrendum vociferari. *Germanus adstat, & baculo me ferit.* Ut ergo dicti factique penitentiam agere videretur, statim argentum sui corporis moli aequilibrum fieri, & ad S. Germanum jussit deferri cum hac sponsione, si morbi vim eraderet, Christianum se futurum. Serò nimium sapient Phryges, o Ragenarie. Nihil agis, quia quam sero agas, novit ille qui corda scrutatur. Ita frustra fuerunt vota: non multò post infelix crepuit effusus viceribus. Parata sunt, paratissima derisoribus judicicia. Divinæ vindictæ brachium nunquam non extentum; cavete irrisores, hos aut illos feriet.

Dicta confirmet Briçius, Turonensis præfatus Martini diaconus, qui suum anastitem Martinum sepius delirum senem, supersticiosam sacerdotem, infamum episcopum vocitabat, uti Gregorius Turonensis refert. Fuit

Fuit quidem Brictius, homo magni iudicii, celeris ingenii, sed & castis moribus; Deus tamen irrisoribus illius impunitatem non concessit: poenam ultra triginta tres annos distulit, tandem criminis poenas repetiit Deus. Brictius quamvis infons, accusatus est stupri. Nihil hic veris actum, nulla excusatio admissa, vitæ etiam periculum imminerebat; demum eiectus est in exilium, quod ille septennio toto toleravit. Hic forsitan Brictius contra Deum queri, & dicere: Domine, quæ hæc iustitia est? nonne me scis innocentem esse? cur meam sic opprimi pateris innocentiam? me sic infamem fieri cur toleras? At recordare fili, memineris, mi Bricti, quæ tu antistitem tuum Martinum tractaris, quibus eum contumeliis insultas, quam illum crebro irriseris: tu forsitan hæc oblitus es? non item Deus: jam exiguntur à te poenæ quæ ante annos triginta tres fuissent exigendæ. Ut notis, parata sunt derisoribus iudicia; & licet castigatio quandoque differatur, non tamen remittitur.

Idem nobis quibuscunque aliis evenit creberrimè, cum extra noxam sumus, & tamen velut noxi graviter punimur. Hic nos lamentari, cum Deo expostulare, cælo terræque injurias nostras queri, proclamare nos innocentem. Simus sanè, sed cur tantillum sapimus, ut memoriam non repetamus ea, quæ temere peccavimus, & nondum expiavimus? Quisquis igitur infons multatur, ita secum ratiocinetur. Ego si conscientiam meam interrogem, his certè noxis vacuus pronuntior, & hic quidem mihi vis infertur, atque supplicium de me sumitur infonte: at Deus tenacis est memorie, qui jam castigat, quod ante annos plurimos deliqui: an non ego simili nequitia in alterum efferebui, quam ab altero jam patior? Jam ergo nomen hoc expungo, vindictam in me pridem paratam diu distulit Deus, jam sentio manum vindicantis. Fatebor igitur jure me plecti, & hoc gratiam interpretabor, debitum mihi supplicium non differri ad aliud tribunal. Admitto patienter castigantis domini plagas & verbera. Scio, nec minimam quidem noxam à Deo impunitam dimitti; irrisoribus præsertim Deum esse infensissimum; parata iis iudicia non nescio.

Serò molunt Deorum molæ; tandem talis redditur farina, quale offunditur frumentum.

CAPVT XV.

Quid DETRACTIO sit, quod duplex, & quam grave peccatum.

ANNO milleſimo ſexcentefimo decimo ſeptimo, in publicum datus est liber, hac omnino inscriptione: Liber equeſtris de arte equitandi, de equorum habentis, horis, retinaculis &c. O bone Deus quis non ingemiscat ad hunc librum? Ergo equis lupata, frenos, capitula, postomides, oreas ex arte facere, & equino ricui inferere novimus? Ergo equos quod volumus habentis flectimus, & linguam heu indomitam nullis retinaculis coercere possumus? nullum hic lupatum, postomis nulla satis compescere potest hanc effrenatam bestiam: hic oreas; hic freni, hic capitula sepiſſime frustra sunt. Infrenis esse vult lingua, velut equus in pascuis. Ad rem omnino sanctus Jacobus: Si equus, inquit, frenos in ora mittimus ad consentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus; Linguam autem nullus hominum domare potest. Ea certè quæ obrectatorum est lingua, venenatissima, undequaque letale virus ejaculatur. Detractio ingens Orbis malum nunquam satis vel accusandum, vel deplorandum. Et de hoc dicere ingredimur. Nota rerum vocabula tam hic quam alibi retinemus: quam ea sunt latina, parum laboramus. Atque hac quidem dissertatio, quid sit Detractio, quod duplex, & quam grave peccatum sit, explicabimus, cetera suo ordine dicturi.

Tom. I.

§. I.

Quid ergo est Detractio? Divus Thomas Aquinas Detractio sic eam depingit: Detractio est denigratio aliene famæ, nis defuit per verba occulta. Nam verbis dupliciter quis lædi potest. Apertè & in os ledere, contumelia est; occultè & absente ferire, detractio est. Vox ipsa Detrahere, rem oculis subicit; nam cum fama seu bona æstimatio adimittitur, dupliciter aut certè imminuitur, idem pæne fit ac si lavernio noctu verbis quis tacito gressu ponè honestum civem insperens, pallium illi subito abstrahat, eoque se involvat, & ita tenebris condar. Super hac eadem re, uti Palladius memorat, Pallad. cap. 19. h. n. 13. interrogatus est Antonius Magnus, quidnam sit Detractio? At ille hoc responsi dedit: Est omnis sermo malus, quem non audeat quis præſente eo proferre, de quo loquitur. Ubi mens bona & Intentio recta est, duobus tantum modis de alterius peccato sermo misceri potest. 1. Cum res jam percrebuit in vulgus promulgata, & in sermone omnium cæpit esse. 2. Cum ei dicitur, qui peccantem castigare & juvare potest. Et ad hoc faciendum saepe etiam obstringimur, ut docet sanctus Thomas, ne ulcus occultatum putrefcat. Joseph certè nec detractor fuit, nec proditor, cum accusaret fratres suos apud patrem crimine pessimo. Quando verò alterius grave & letale delictum nondum foras elatum (vix enim duo tresve illius conscii sunt) detegitur, & ab uno pluribus patet, unde illius, de quo hoc panditur, nomen ac fama læditur, præsertim, si is qui ejusmodi enuntiat, eo id animo faciat, ut absenti malè loquatur, tunc sanè grande & verè mortiferum delictum est; etiam si verissimum sit, quod hic de altero manifestum facit, etiam si suis id oculis viderit, aut suis ipse auribus audierit. Nam dum hæc talia iis indicat, quibus non essent indicanda, non corrector, sed proditor est.

Detractionis origo, aut superbia est, dum obrectator suam ostentat scientiam; aut est levitas animi, dum aliis studet placere, talia narrando, aut invidia est, dum aliena luera, sua damna reputat, felicibus aliorum successibus ægrelens; aut simulas est & alienatio, dum animam vindictæ appetentem satiare dõderat. Sed & alia hujus mali scaturigo est, longa maledicendi consuetudo: tunc enim non cogitantibus etiam elabitur noxium telum, elicitur sanguinem. Qui tam malo pravòque maledicendi habitu sunt corrupti, non malè respondeant idem quod Zoilus, canis ille Rhetoricus, ut eum nominat Elianus: Zoilus iste Polycratis fuit auditor, homo malè loquendi studiosissimus, qui stylum in Homerum etiam, Platonem, aliòsque strinxit. Et cum cum vir quidam eruditus interrogaret, quamobrem omnibus malè loqueretur? Quoniam, inquit, malè facere, cum velim, non possum. Hæc obrectatorum mens est, ut quibus re aut manu nocere non possunt, eos saltem lingua vel absentes feriant. Hinc beatus Thomas Aquinas: Auferre alicui famam, inquit, valde grave est. & ideo Detractio per se loquendo, est peccatum mortale. Verissimè Bernardus: Detractio, ait, grave vitium est: detractio grave peccatum est: detractio grande crimen est.

Detrahitur autem alicui, octo potissimum modis. 1. Cum quis orationis vanitatem adhibet, & aut falsum dicit, aut quippiã affingit, & mendaciunculis rem aspergit: quæ ratione geminatur delictum, sitque mendacium & detractio. 2. Cum quis latens ac tectum peccatum è latebris in lucem profert; omnia quidem quæ dicit, vera sunt, sed tamen dicenda non sunt. Hac ratione alteri quis detrahit, non quia de veritate aliquid decerpit, sed quia de famâ. Hic plurimi gravissimè impingunt: Ergo, ajunt, ipsissimam veritatem palam facere non liceat? Non licet, mi Christiane, si id non possis nisi cum alterius detrimento. Nam et si hoc, quod dicis, sit verum, est tamen occultum; et si hic peccando conscientiam coram Deo læsis, famam tamen coram hominibus non perdidit.

Ggg 3

didit,